

02 I 104





u

REDDENTE
 AUGUSTI CONJUGII MEMORIA,
 RECTOR (B. Leistorum)
 ILLUSTRIS AD SALAM AUGUSTEI
 LECTIONES
 IMPOSTERUM PUBLICE PRIVATIMQUE TRA-
 CTANDAS
 INTIMAT,
 SIMULQUE
 AD AUDIENDUM
 ORATORIAE PROFESSOREM,
 DE
 LIBERTATE STUDIOSORUM
 d. 23. Nov. M DC LXXIV.
 PUBLICE DISSERENTEM,
 DECENTER INVITAT.


LEUCOPETRAE,
 Excudebat JOHANNES Brühl.





02 I 104





Ostquam AUGUSTISSIMUS NUTRITIUS Noster conspicuam eruditionis sedem in hac ipsa Leucopetra munificentissime fundavit, eam simul, & docentibus & discipulis, insinuavit Gratiae & Amoris tesseram, ut, quoniam die 23. Novembris A. 1647. cum Serenissima, (nunc Beatissima) sua CONJUGE fuisset copulatus, hæc impostero die, intimandis solenniter Lectionibus inserviret, habitaque in Procerum Confessu Oratione, tum pro Salute CONJUGII AUGUSTI, tum pro incremento Gymnasii, ardentissima ad DEUM vota effunderentur. Cum igitur ante annum, circa hoc ipsum tempus fama ad nos perferretur, natam esse Sereniss. JOHANNI ADOLPHO Filiam; hæc Oratori subnascebatur dicendi materia, ut, quando AUGUSTI CONJUGII memoria facile declararet, sicut Eberhardus Würtembergensis Dux, Academiae Tubingensis Fundator, Studiosos vocasset filios; (*Lanf. de Acad. p. 44.*) ita OPTIMUM AUGUSTUM nostrum, singulos AUGUSTEI Cives pro filiis velle agnoscere; omnes etiam in hoc Musarum

Domicilio degentes illarum præcipue Virtutum eligerent studium, quæ tanto PARENTI essent acceptissimæ, & ante omnia minoris hujus PRINCIPIS SÆ indolem, suis actionibus sedulo exprimerent. Et vero DEum veneramur ex toto pectore, quod non sine fructu hanc ipsam adhortationem fuisse adhibitam, anni præterlabentis spatium declaravit. Si enim merum in agro nostro triticum producere non potuimus; nobis tamen gratulamur, mera ibidem non succrevisse zizania. Atque si aliquos transversos egit, nescio quibus argumentis præsumpta libertas, seu ut rectius loquar, peccandi licentia; aliorum vicissim laudabilis hæc fuit industria, ut in Lectionibus publicis sedulos, privatim attentos, in perorando industrios, in disputando excitatos, in repetendo nunquam lassos se præbuerint. Equidem si variorum hinc inde censuras excutiamus, quibus præ cæteris laborare videtur Gymnasium nostrum, intempestivis istis Judiciis insurrari velimus, quod habet Epictetus in suo Compendio cap. 65. *Unaquæque res duas habet ansas: unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Ergo si frater injuriam fecerit, non eam prehende, quæ facit injuriam: ea enim ejus ansa non est tolerabilis; sed illinc potius: esse fratrem, esse simul educatum. Sic prehendens rem, quæ est tolerabilis.* Certè enim habemus in Auditorum nostrorum numero duplicem ansam: aut bonam ac tolerabilem, pauci sunt, qui velint arripere; omnes uno impetu in partem intolerabilem provolare conantur. Pone intimari Orationes, frequentari Disputationes, ingeminari Exercitia, esse Auditores, qui scribendo & loquendo suam testentur sedulitatem; imò jam reperiri in publicis officiis Viros insigni eruditione præditos,

præditos, qui fidelem Professorum nostrorum informationem satis splendide deprædicent: Qvis ad talia oculum deflectit? Qvis exhaustos pro salute Juventutis labores, quis adhibitam Juvenum industriam vel minimo dignatur præconio? Qvis recommendationem, alibi satis liberaliter profusam, nostris etiam subfelliis audet commodare? Quod si verò quis è fece Auditorum, bibendo, clamando, turbas ciendo suum ordinem prostituat, (quæ tamen exempla hæcenus adeo copiosa non fuerunt) DEUS bone, quanta ubique universi nostri Collegii execratio! quanta querelæ! quanta comminationes! quanta indignationes! Sanè quæ adversus Leges ausu temerariò admittuntur, nemo nostrum est, qui probet, aut impunita relinqui cupiat; quin potius & publicæ nostræ & privatæ admonitiones satis declarant, quantum his faveamus prævaricationibus: imò quantum rogemus, velint suo discessu cœtum purgare, quibus impossibile est animum à vitiorum excrementis reddere puriorem. Interim hoc à Censoribus vehementer rogamus, nolint, qui in delictis sunt Lyncei, in rebus laudabiliter gestis esse talpæ; aut qui tantâ promptitudine arripiunt ansam intolerabilem, penitus intactam dimittere ansam tolerabiliorem. Nam si in omnibus Vitæ conditionibus ac societatibus, mala bonis mixta plenam perfectionem impediunt, cur apud nos desiderant Civitatem Platoniam? Qui si hic essent, nostrique loco experirentur, quam sæpè optima informantis ac adhortantis intentio, vel nullum, vel exiguum, vel tamen minus plenum fortiretur eventum, aliter de nostro officio sentire inciperent. Sed valeant, qui suam nobis benevolentiam
subtra-

subtrahunt. Nos quemadmodum OPTIMI NU-
TRITII Clementissimam Voluntatem usq; ad hunc
temporis articulum abundè sumus experti; sic negle-
ctis malefactorum judiciis, in sola hac Gratia acqvie-
scentes, quod nostri est officii, sedulò conamur exple-
re. Eumq;ve in finem Lectiones anniversarias de-
nuò publicæ Luci exponimus, ut, qui curæ nostræ
commissi sunt, è tanta rerum necessariarum copia in-
telligant, quàm exigua, imò quàm nulla temporis
particula, otio, Baccho, rixis & libidinibus sit relicta,
quantamq;ve habeant causam curis suis & cogitationi-
bus in honesta Literarum studia perpetuò incumben-
di. Quin etiam paternè hortamur omnes, velint ad fi-
nem respicere, quem studiis suis habent præfixum.
Sic malevolos inimicorum sermones, iniqua extrane-
orum judicia, & quicquid canum instar latratibus
suis molestum esse cupit, non modò contemnere, sed
nobilissimo etiam victoriæ genere, discent superare.
Chemnitius; Præclarissimus superioris Seculi Theolo-
gus, quoties aliorum sermonibus pungebatur, hoc re-
gerebat Augustini: *Quisquis volens detrahit famæ meæ, no-
lens addit mercedi meæ: nec malam conscientiam sanat præconium
laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium convitiantis.* Spizel.
Templ. Hon. p. 5. Date operam Virtuti, sic refutantur
censuræ: Sic quemadmodum Furnerius *Geograph. lib.
4. cap. 44.* de Palatio Arausionensi Hagæ Comitum con-
spicuo prædicat, ex ejusmodi trabibus esse constru-
ctum, quibus nullæ araneorum telæ possint adhærere;
vestris studiorum structuris araneæ quidem insultare,
sed nullas telas constanter poterunt annectere. Sic
vestram facietis inscriptionem Bibliothecæ Cesenatis
in Italia:

in Italia: *ELEPHAS INDUS* h. e. homo virtutum, eruditionisq̄ve robore instructus, *NON CURAT CULICEM* h. e. hominem ultra verba vana & inania non sapientem. *vid. Chytræi delic. p. 348.* Sed satis admonitionum. Pergimus jam ad *Ordinem Lectionum*.



DEo Duce & Auspice,

PROFESSOR THEOLOGIÆ

EXpertus, *CURSUM DIDACTICUM*, aut *POSITIVUM*, singulis *Compendii Hutteriani* Articulis multoties, repetitionis vice, absolutis & fideliter inculcatis, habitu in *Animis Auditorum* donari, duabus *Lectionibus*, more hactenus consvetô, unam semper *Loci Theologici* expositionem interferet.

Ex eo *CURSUS HISTORICUS*, cum in singulis *Seculis* operosior uberiorq̄ve doctrina occurrat, interpellari cœpit, committiq̄ve adeò, ut, dum *Junioribus & Tyronibus* consulitur, nondum ad aliud, quàm, quod jam antehac promissum fuit, *III. SECULUM* aditus pateat. Ubi, quemadmodum & quæ *Ecclesiæ* cum iisdem, quales jam ante inruerant, *Ethnicis, Hereticis, Judæis*, res fuerit, qui & quô æstu *Tyrannorum* in eam furor, incubuerit, quinam *Doctores*, & quomodo pro asserenda *Veritate* cum pugnauerint cœlitus, tum occu-
bue-

buerint, animadvertitur. Videbitur tamen, utrum
IV. SECVLUM, decursô annô, pervolvi atqve
pervolutari possit. Pacetum ab Exteris Hostibus Ec-
clesiæ aliquantùm redditâ, intestinum bellum eò acri-
ùs excrevit. *Divinitatem enim Christi Arius, Alexandri-
nus Presbyter, majore, quàm ullus ante ipsum Hæreti-
cus, neqvitiâ & versutiâ impugnatum ibat. Repres-
sus autem est auctoritate Synodi Oecumenicæ Primæ, quam
in Nicæam, Urbem Bythinia, coire jusserat Constantinus Ma-
gnus. Ea præter Symbolum, quô Confessio Fidei edeba-
tur, Canones XX. gubernationem Ecclesiæ, ritus & dis-
ciplinam concernentes, condidit. Porro, quum Ma-
cedonius Spiritûs Sancti Divinitatem negâisset, jussu Theodosii
Magni coacta est Constantinopoli Synodus Oecumenica Secunda,
quæ Symbolo necessariam de Spiritu Sancto & aliis dogma-
tibus declarationem adjecit. Divinitate ita cum Filii,
tum Spiritûs Sancti à vaferrimis Hostibus in dubium vo-
catâ, quàm scitè, quàm eruditè, quàm graviter à Docto-
ribus, quos sanè præclaros ea ætas tulit, adserta eadem
fuerit, sciri dabitur.*

CURSUS EXEGETICUS, sub comitatu CONCI-
ONATORII, distinctè tamen incedentis, commodi-
us, DEO Auctore & Statore, atqve feliciter expediri
poterit, postquam, hîc ipsô adhuc annô, grande Ec-
clesiæ & Augustei Columen, DN. D. Johannes Olearius,
Theologiam Exegeticam, cujus *Isagogen* ordine sequentia
Summa, Monita, Exempla accuratâ methodô exhibentur,
publico bono in lucem emisit. Vestigia tam splen-
dida sectari licet, liber.

JURIS.

JURISPRUDENTIÆ PRO-
FESSOR

IN explicatione Institutionum
Imperialium ea, quâ hactenus u-
sus est methodò singulis Martis,
Jovis, & Saturni diebus ab hora
octava matutina ad nonam per-
get, & cum hòc annò integros
quatuor non absolvere potuerit
Libros, in id sedulò incumbet, ut
ad minimum ineunte Vere novæ
possint incipi lecturæ, imprimis
si præsentibus novis Justinianeis
tum temporis vernæ quoq; acce-
dant Auditores, & cum coetu au-
dientium Doctòris infimul studi-
um excitetur.

JOHANN JOACHIM Hager /
Medicinæ D. & P. P.
Die Lunæ hor. pom. 2. in Schematistico do-
B cen-

cendi genere, quo B.D. Mœbius in Epitome Institutionum Medicinæ usus est, perget.

Die verò Jovis hor. postmeridiem 2. Synopsis Anthropologicam Sperlingii quoad *ψυχολογίαν & Σωματολογία* ventilabit.

Privatim Collegium Physicum variis experimentis illustratum adornabit.

Prætereà, in defectu Cadaverum humanorum, Zootomiam durante hyemali spacio, his, quibus curæ cordiqve *τὸ γνῶθι σεαυτὸν*, sedulò ἐνχειρήσει excolet.

IN PHILOSOPHICIS ET PHILO-
LOGICIS
M. JOACHIMUS LEISTENI-
US, AUGUSTEI RECTOR & P. P.

Feriae secundæ & tertiæ hora IX. in asserenda memoria rerum, quæ, devoluto ad Romanos Germanosqve axiomatico Monarchico, in orbe terrarum gestæ sunt, operam suam locabit, variaqve Virtutum & Vitiorum exempla ante Auditorum suorum oculos statuet, ut constet, quid fugere omninò, quid magno studio sectari dece-

deceat mortales, qui ad vitæ præsentis felicitatem, & venturi seculi beatitudinem aspirare discipiunt.

Feria quarta, eâdem horâ, Logisticam, methodicè olim ab ipso conscriptam, explicabit, notis & exemplis illustrabit, simulq;ve ad Arithmeticam Rabdologicam Illustris Neperi Auditores manuducet: Quâ absolutâ, faciem Cœli & Terræ ope Sphæræ materialis exprimere sustinebit.

Feriæ quintæ & sextæ horâ I. pomeridianâ, in Doctrina Temporum tradenda occupabitur, ejusq; partem *Generalem* tabulis Synopticis exhibebit; *Specialem* verò ita tractabit, ut singulæ Epochæ singulis Syllogismis statumentur, & dubia, quæ præmissarum certitudini obstare videntur, discutiantur.

Privatim verò non solum telam, quam jam exorsus est, cooperante DEO pertexere annitetur, verùm etiam aliis in rebus, & cum primis in Horographicis & Astronomicis desiderium Studiosæ juventutis absolvere allaborabit.

M. CHRISTIANUS *Weise* / Politicus, Eloquentiæ & Poëseos Prof. Publ.

Die Lunæ, Martis, Jovis ac Veneris hor. III.
B 2 Politicus

Politicam hæcenus in thesi explicatam, per controversias illustrabit; illisq; tum in ordinariis Disputationibus publicè, tum in exercitio, quod privatim continuabitur, lucem fœnerabitur ulteriorem.

Privatis auditoribus post absolutam Notitiam Imperii, Principum Germaniæ statum distinctim enarrabit.

In Oratoriis & Poëticis

Publicè ad diem Martis hor. I. & Saturni hor. IX. exercitia solutæ Poëseos (sic enim merito appellantur Inscriptiones) exemplis è politiore historia petitis recommendabit.

Privatim, quæ in Collegiis, tum Epistolico, tum Oratorio inchoata sunt, novis subinde materiis explicabit. Provecioribus manuductionem ad Locos Communes Oratorio - Politicos porrò subministrabit: excerptisq; hæcenus Chytræi delitiis, Exegetin Genealogiarum Rittershusianarum percurret: Inde Scriptores Historiæ Augustæ, ad Oratoriam & Politicam accommodabit.

Poësin Germanicam, ubi novus annus longiores dies indulserit, veteri methodo ad nova exempla revocabit. Ac de cætero omnia aget, quæ hæcenus non neglexit.

M. JOHANNES Holderrieder/
Ling. Ebr. & Ethic. P. P.

In Ebraicis

CL. Schickardi aureas Regulas singulis die-
bus Lunæ hor. I. Jovis verò & Saturni
hor. II X. in gratiam incipientium de-
nuò explicabit, quia tamen Auditorum
ætas & profectus rarò sunt æqvales, in
gratiam provectorum, ne laborem
hunc fastidiant, analyfin tum ex תהלים
tum ex בראשית Grammatico- Philolo-
gicam juxta statuta Nutritii Serenissimi
subjiciet, usumqve Ebraismi monstrabit,
varias etiam materias Philologicas, de
genuina literarum & punctorum vocali-
um antiquitate, de divisionibus V. T., de
Versione L X X. virali; de תרגומים s.
Paraphrasibus Chaldaicis, item de
מסורה ejusqve Auctoribus, de קרי &
de קבלה ejusq; speciebus גימטריא
& נוסריקון & תמורה de ראשי תיבות
multisq; aliis, quæ Ebraicæ Lingvæ Studiofo co-
gnitu necessariae erunt, בעה tironibus
proponet.

In Ethicis

Prolegomena Philosophiæ Moralis Itteri, quam
B 3 non

non ita pridem Auditorum rogatu de
novo inchoavit, absolvit, atq; ad doctri-
nam illam nobilissimam de Summo ho-
minis Bono, eâ, quâ cæpit methodô, pro-
gredietur, ita quidem, ut difficiliore
qvæstiones in Theologia & Jure usum
aliquem habentes dictatis complectatur.

Privatim in Collegio Ebraico, nisi Auditorum
constantia & assiduitate destituatur, per-
get, atq; propediem tam Ethicum quam
Ebraicum desiderantibus instituet.

Studioforum deniqve commodum in privatis &
publicis Disputationibus promovere o-
mni studio allaborabit.

M. JOHANNES *Kierner* / Logicæ
& Primæ Philosophiæ Prof.
Publ.

PUBLICÆ

Die Lunæ & Martis hora VIII.

EXplicatis hætenus prioribus Logicæ & Me-
taphysicæ partibus, iisdemqve consvetâ
methodô absolutis, nobilissimum ac au-
reum *Analyticæ* opus ex clarissimis fonti-
bus Aristotelicis propediem haurire au-
spicabitur, ita, ut, exceptis primò in cala-
mum præceptis, sub unaqvaq; lectione
exem-

exemplorum loco, Dictum Biblicum,
aut Legem è Corpore, certasq; propofiti-
ones morales non fine peculiari & præ-
meditato ftudio Logicè refolvat.

Die Mercurii & Jovis iisdem horis

Pnevmaticam feu jucundiffimam illam de Spiritu
scientiam, partis Metaphyficæ specialis
partem haud impari conatu inculcabit;
de qua fuccifa quædam & accurata ha-
ctenus elaborata eft *Synopsis* mox audito-
rum albo publicè & fideliter communi-
canda. Cui non obfcuram lucem fœne-
rabitur fingulare de anima negotium.

Die Veneris peractis Sacris

Exercitium Difputatorium per Thefes ex omnibus ela-
pfx feptimanæ lectionibus collectas, fine
hiatu continuabit.

Die Saturni

Dannhaueri Hermenevticam, cujusq; facultatis Studiofo
perquam neceffariam ordine femel infti-
tuto ad metam perducere unicè allabo-
rabit.


PRIVATIM

Methodus difputandi, cum fasciculo fophisma-
tum, cupidum auditorem expectat. Sic-
ut & aliis officii partibus ad fingula civi-
um defideria fe minimè defuturum can-
didè pollicetur.

PRO-

PROFESSOR LATINÆ &
GRÆCÆLINGVÆ

QVæ publicè & privatim docturus sit, suo tempore, cùm ritè vocatus huc accesserit, & vacantem sedem DN. Prædecessoris sui occupaverit, intimabit. Interim vi-ces ejus supplebunt, in Latio quidem sermone Rector & Oratoriæ Professor, in Græcis autem Primæ Philosophiæ Professor.



HIc itaq; is cursus est, qui, quemadmodum de promptissima Professorum voluntate nihil non pollicetur, ita etiam Auditoribus parem auscultandi proficiendiq; voluntatem videtur imperare. Nos interim rogamus DEUM, dignetur spem hoc iterum anno conceptam felici eventu exhilarare; ne vel minima felicitatis pars, tum AUGUSTISSIMO AUGUSTO, omnibusq; AUGUSTI NOMINIS ac OMINIS HÆREDIBUS; tum Inclyto huic *AUGUSTEO* minuatur ac deficiat: Quin potius aurea Pax ditionibus nostris incumbens, Musas quoq; reddat ad quamvis sedulitatem expeditiores. Hoc vovemus, Hoc precamur, Hoc ut DEUS perficiat, geminatis ab Eo votis contendimus. PP. d. 22. Novembr. MDC LXXIV.



QVI

02 I 104

ULB Halle 3
003 791 386




VD 77

011







u

NTE
 GII MEMORIA,
 TOR *(3. Leistung)*
 LAM AUGUSTEI
 ONES
 PRIVATIMQVE TRA-
 AS
 MAT,
 VE
 NDUM
 OFESSOREM,
 UDIOSORUM
 DC LXXIV.
 ERENTEM,
 NVITAT.
 TRÆ,
 NNES Brühl.